



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ**

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem Innocentii XII. super celebratione Missarum, variaque alia decreta

**Genet, François**

**Parisiis, 1703**

Q. 3. Quot sunt dispositiones ad percipiendam cum fructu sacram  
Communionem?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40834**

sanctorum quotidie celebrantium, aut communicantium, ad sacram Eucharistiam sine interruptione accedunt: sed id etiam confundere potest plures Sacerdotes, qui munia, & obligationes tam sancto statui convenientes sæpius negligunt, & tamen à celebratione quotidiana nunquam desistunt, licet parum de emendatione cogitent.

*Quest. 3.* Quot sunt dispositiones ad percipiendam cum fructu sacram Communionem?

*Resp.* Duplicis sunt generis; aliæ se tenent ex parte Corporis, aliæ ex parte animæ.

*Quest. 4.* Quænam sunt Corporis dispositiones ad Communionem requisitæ?

S. Carolus  
Actor. P. 46  
De Sacram.  
Eucharis.

*Resp.* Egregiè illas describit sanctus Carolus dum ait: *Opus est ut jejuni fideles ad sacram mensam accedant; ita ut saltem dimidia antecedentis diei nocte usque ad illud temporis punctum quo Eucharistiam accipiunt, nihil omninò comederint, aut biberint. Sed præstantissimi hujus Sacramenti dignitas hoc postulat, ut qui matrimonio juncti sunt, aliquot dies à concubitu uxorum abstineant, Davidis exemplo admoniti, qui propositionis Panes cum à Sacerdote suscepturus esset, se suosque pueros ab uxorum consuetudine pueros jam tres ipsos dies esse professus est; & ex Canone etiam veteri, qui tres, vel quatuor, vel etiam octo dies abstinentia in hoc genere proponit. Quod ad Corporis habitum pertinet, quem in sacra Communionem adhibeant, hæc Parochus præmonebit & curabit, ut summâ reverentia omnique humilitate Fideles accedant ac sumant, oculis non vagis, sed in Christi Corpus piè coniectis, ore supra pannum lineum suppositum modeste porrecto, capite non demisso, linguâ paululum labrum in-*